

8.
AD

MINERALOGIAM FENNICAM
MOMENTA,

QUORUM PARTEM TERTIAM

*ANALYSIN SULFURETI FOSSILIS STIBI^o-PLUMBICI
E KALVOLA*

COMPLECTENTEM

VENIA AMPLISS. ORD. PHILOS. UNIV. ABOËNSIS

PRÆSIDE

PETRO ADOLPHO von BONSDORFF,

*Chemia Professore Publ. & Ord., Colleg. Imperialis Medici
Assessore, Societatis Imp. Mineral. Petropolitanae Membro
Ord., Societatum Philomatica & Hist. Natural. Parisien-
sium, nec non Natura Studios. Senkenb. Francofurti
ad Mænum Membro Corresp. atque Soc. Imp. Phar-
maceut. Petropol. Membro Honorario.*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES FREDERICUS ELFVING,

Stipendiarius Publicus, Nylandus.

In Audit. Medico die II Julii MDCCCXXVII.

h. a. m. s.

ABOË, Typis FRENCHELLIORUM.

zidor corporis minima. In annis aliis quoque
asservatis deinde hunc iactumus etiam primis ab aliis
anno se a nascere in locis raroq; abeunt q; si
ANALYSIS SULPHURETI FOSSILIS STIBICO-PLUMBITI
et KALVOLA.

Inter sulphureta, quæ in Regno Minerali reperiuntur, quæque duo plurave metalla ut partes constitutivas electropositivas continent, nonnulla satis adcurate adhuc non esse qua chemicam suam constitutionem a Scientiæ Cultoribus determinata, omnibus in confessu est. Horum autem in primis memorandæ sunt mineralium species, quæ a Mineralogis Germanicis nominibus *Schwarzberg*, *Fahlerz*, *Weissgültigerz*, *Bleischimmer*, *Bleiguss* insignitæ sunt, quarumque postremæ tres plumbiferæ tanto minus rede videntur dejudicatae, quod Scriptores plurimi mineralogici easdem vel ut varietates *Galenæ* sive Sulphureti Plumbici *), vel ut mineralia, in quibus unum vel plura metalla tamquam partes ingredientes accidentales considerandæ essent, ideoque ipsa etiam fossilia in serie systematis mineralogici minime inter distinctas species collocanda, sed tantum in appendice Sulfuretorum familiæ seu hujus vel illius speciei referenda, habuerint **).

C. *Elementa Mineralogica*

*) Vide: *Traité de Mineralogie* par M. l'ABBE HAÜY seconde édition, III. p. 342.

**) Vide: *Traité Elementaire de Mineralogie* par F. S. BEUDANT p. 438.

& LEONHARD'S *Handbuch der Oryctognosie*, Zweite vermehrte und verbess. Aufl. 1826 pag. 630. (Erste aufl. p. 228).

Quæ cum ita sint, in animum quoque nobis induximus, fossile Fennicum, quod Celeb. Præses in parœcia Kalvola haud ita pridem a se erutum, Sulphuretum scilicet duplex Stibii & Plumbi, benigne nobiscum communicavit, specimini Academici loco, examini analytico subjicere, eoque forsitan ipso ad penitorem minerarum dīctæ modo familiæ, in primis mineralogiae patriæ, cognitionem vel tantillum conferre. — Antequam vero ad ipsam disquisitionem analyticam fossilis laudati progrediamur, haud forsitan abs re fuerit, analyses, quas fossilium maxima saltē ex parte e sulphuretis Stibii & Plumbi constantium hucusque instituerunt chemici, qua fieri poterit brevitate heic exhibere: Examinavit scilicet Cel. Pfaff mineram in fodinis Nertschinskensibus Siberiæ repartam, quam nomine Bleischimmer nuncupat, compositionemque juxta suam analysis sequenti modo determinavit *):

Plumbum	43,44.
Stibium	35,47.
Arsenicum	3,56.
Sulphur	17,20.
	99,67.

Examinavit porro Cel. Klaproth mineram *Dunkles Weissgültigerz* dictam, quæ ad urbem *Freyberg* *Saxoniæ* occurrit, quæque, licet argenti portionem haud exiguum contineat, attamen maxima ex parte plumbo, stibio & sulphure constat, ideoque

*) Schweiggers journal der Chemie XXVII. I.

hic comparationis gratia notatu dignum habuimus. Invenit nempe in hoc fossile cel. Klaproth:

Plumbum	41,00
Stibium	21,50
Argentum	9,25
Ferrum	1,75
Sulphur	22,00
Silica & Alumina . .	1,75
	<hr/>
	97,25.

Fossile, cuius analysin hic jam exhibemus anno 1819 repertum fuit ad pagum *Taljola* in Parœcia *Kalvola*, ubi in petra ad superficiem terræ quartzo immixtum occurrit. Comitantur idem Pyrites & Sulphureto Zinci; præterea que etiam Graphites membraneus & Grammatitus viridiscenti-albidus in eadem petra inveniuntur.

Apparet fossile nostrum in frustis longiusculis, forma regulari externa expertibus. Texturam tamen perfide esse cristallinam, tam e fractura longitudinali, velut in Sulphureto Stibii striata vel radiata, quam ex ruptura transversali, quæ sub angulo recto est lamellaris, patet. Frusta etiam sæpe inveniuntur per longitudinem in prismata tetraëdra vel etiam trilatera diffusa, in quibus angulus obliquus, qua gradus tamen determinatū difficilior, observatus est. Formam primitivam igitur Prisma rectum rhomboidale constitutere pro certo credimus.

Gravitatem specificam ad temperaturam +
20° C. 5,975 invenimus.

Durities fossilis fere eadem est ac sulphureti stibii; gypsum scilicet scalpere licet difficilius valet, spato calcareo vero cedit. De cetero valde est fragile & facillime in pulverem redigitur.

Nitor in fractura est metallicus.

Color in fractura recens facta est plumbeus, colori Sulphureti Stibii assimilis; in fissuris vero tam longitudinalibus quam transversalibus sponte extortis, superficies, quæ aëri apertæ fuerunt, coloribus iridis sunt destinatæ; quin etiam membranula vel pulvere ferrugineo-nigrescente sæpe sunt obductæ, sine dubio ex decompositione quadam fossilis in aëre orta. — *Pulverem* dat nigrescente-cinereum.

Perfecte opacum est fossile.

Caraacteribus externis sic quidem exhibitis, proprietates &c phænomena, quæ fossile nostrum vi ignis vel ad flammam tubi ferruminatorii ostendit, quibusque præcipuæ saltem partes ejus constituentes in antecessum indagari possint, hic describere necessarium habuimus.

Frustum fossilis, in cucurbita e tubulo vitro conflata ad flammam tubi ferruminatorii, excandefactum, exiguum dat sublimatum rubicundum, ei, quod e mineris Selenium continentibus in tubulis apertis formatur, assimile *).

*) Vide: *Om Blåsrörets användande i Kemien och Mineralogen* af Jac. Berzelius pag. 119.

Tubulo vitro aperto frustum inditum, & flammæ lucernæ spiritus vini admotum, primum funditur & deinde vapores acidi sulphurosi, qui papyrus Fernambuci decolorant & tinctum Heliotropii rubefaciunt, eructat. Seponitur insimul in superiori parte tubuli pulvis albus vel albidus, cuius una pars volatilis est & denuo sublimari potest, oxidum scilicet Stibicum, altera autem pars non volatilis restat, quæ in calore flavescit, frigefactus vero colorem album recipit (sine dubio: Antimoniis Plumbicus *).

In carbone acidum sulphurosum exhalat fossile, & turgescens vel ebulliens pulverem albendum ex oxidatione antimonii ortum circumcirca deponit. Formatur præterea quoque oxidum plumbicum, colore flavo distinctum, ut & globuli separantur metalli ductilis, quod ut plumbum agnoscitur. Exstat demum exigua quasi scoria, quæ cum Borate natrico colores dat oxidi ferrosi. Plumbeorum globulorum sufficiens copia in cincere ossium **) oxidata nullum argentii indicat vestigium.

Sic igitur partibus constitutivis mineræ nostræ via sicca aliquatenus investigatis, plumboque nempe, stibio, sulphure & ferro in ipsa detectis, jam ad accuratiorem disquisitionem chemicam procedere restabat, & cum inter varias methodos, quibus in analysi hujus fossilis instituenda uti potuerimus, maxime idonea nobis videretur illa,

*) Loco citato pag. 148.

**) Couf. Loco cit. pag. 70 & 146.

quam in examine minerarum nicolum continentium primum adhibuit Cel. BERZELIUS ^{*)}), quæque in minera gase chlorii tractanda constat, jam modo sequenti operam nostram peregrimus.

Analysis Chemica:

A. Frustula fossilis purissima selegitur, in pulverem redigimus, & apparatu vitro qui ejusmodi operationibus instituendis in officina vitraria consulto confectus erat ^{**))} indidimus. Pulvis in apparatu ipso, modici caloris ope aqua hygroscopica liberatus, pondere efficiebat 0,745 grammata.

B. Apparatu deinde ex altera parte cum cucurbita, e qua gas chlorii separabatur ^{***)}), atque ex altera cum lagena aquam continentem, coniuncto; gas chlorii ut lente admodum pulverem mineralem pertransiret curavimus, quo tamen pulvis hicce etiam sine caloris ope colorem flavescentem sibi induxit & fumum albidum eructavit. Cum sic in pulverem primam suam vim exseruisset chlorium, deinde leniter globum ad flammulam lucernæ spiritus vini calefecimus,

*) Vide: *Kongl. Svenska Vetenskaps Acad. Handlingar* 1820
2. H. ubi etiam figuram apparatus, quo usus est Cel. BERZELIUS, delineatam reperies.

**) Forma apparatus fere eadem erat ac illius quo Cel. BERZELIUS usus est, sed uno tantum globo instructus erat, eodemque multo majore, cuius diameter scilicet duos adæquabat pollices: Cfr. figuram, cuius supra in notis mentio facta est.

***) Inutile forsan est notatum, gas chlorii, antequam in apparatus pervenire potuerit, chloreto calcico, ut fieri solet, siccatum fuisse.

quo chloretum sulphuris formatum sensim in lagenam pertransiit, & chloretum stibii vel in eandem abiit vel in superioribus partibus globuli & in tubo sive collo apparatus, quod cum lagena erat conjunctum, depositum est. Majore lucernæ flamma adhibita post aliquot horas porro observavimus, sublimatam illud e globo pe- detentim fugatum esse, ejusque in loco substani- tiam formatam esse rubro fuscam. Notatu quo- que forsan est dignum, corpus quoddam valde volatile, admodum exiguae licet quantitatis, sub operatione e tubo longissimo, quo obturamen- tum subereum lagenæ erat munitum, evolasse. Operatione sic quidem per septem octove horas continuata, residuum albidum in globo appara- tus formatum ne tantulum quidem ulterius com- minui videbatur; finem igitur operationi facturi, apparatum refrigerescere fecimus, continuante ta- men adhuc aditu gasis chlorii, & quo partes volatiles, quas adhuc retinere potuisset appara- tus, omnes in lagenam colligerentur, solutionem carbonatis kalici in cucurbitam acidum excedens continentem infudimus, quo acidum carbonicum expulsum apparatum cito implevit.

C. Diversis membris totius apparatus a se invicem sejunctis, primam nostram curam in eo adhibuimus, ut varia chloreta, quæ ob diver- sam eorumdem volatilitatem sub ipsa operatione separata erant, jam colligeremus & examinere- mus. In fundo globi scilicet restiterat corpus albidum, quod pro chloreto plumbico habui- mus; in superioribus partibus globi, ut jam

diximus, sublimata erat substantia rubro-fusca, chloreto ferrico simillima, & in collis ipsius apparatus utrinque seorsim a globo sese deposuerat chloretum stibii solidum. Quo sic corpora haecce segregari possent, colla ipsa prope ad globum utrinque in regionibus vacuis ferro cuncti abscidimus, & eo modo separationem chlorerorum nobis faciliorem reddidimus.

D. Chloretum stibii primum in acido Hydrochlorico soluimus, atque seorsim seposuimus, quo interea partes ejusdem chloreti in lagenam fugatas a chloreto sulphuris separandi occasio daretur. Examen igitur liquidi quod in lagenam continebatur suscepimus; & cum in tubo longissimo, quo munitum erat obturamentum (Conf. B), sese deposuisset exiguus pulvis, hunc acido hydrochlorico diluto soluimus & liquido in lagenam ipso addidimus. Quod inde ortum est precipitatum perparvum, iterum post aliquod tempus solvebatur, liquido, in lagenam obturamento vitro clausa, aliquantulum quassato. Quo vero jam separaretur sulphur, solutionem chloreti barytici admiscuimus, & precipitatum sulphatis barytici sic ortum in filtro collectum & aqua elutum siecavimus excandescimusque. Pondus hujus sulphatis aequale erat = 1,280 gramm., quae, cum 100 partes ejusdem 13,796 contineant sulphuris, 0,177 grammata puri sulphuris indicant. Postquam sulphatem huncce baryticum acido hydrochlorico concentrato concoximus, acidumque percolatum & dilutum gase sulphureti hydrogenii tractavimus, nobis persua-

simus nullam omnino oxidi stibici portionem in sulphate hocce latuisse.

E. Solutioni, ex qua sulphuris baryticus præcipitatus erat, acidum sulphuricum dilutum instillavimus, usque dum omne superfluum separatum esset chloretum baryticum; & liquido a sulphate barytico iterum liberato, solutionem chloretri stibici vi acidi hydrochlorici supra obtentam admiscuimus, (D) totamque solutionem vi sulphureti hydrogenii præcipitavimus. Quod sic dejectum est sulphuretum fulvo-rubicundum, filtro collectum & lavatum in aëre clauso acidū sulphurici ope exsiccavimus & deinde certam ejusdem portionem globulo, qui in tubo Barometri erat efflatus, inditam vi hydrogenii in formam metallicam reduximus. Tota fugata sulphuris quantitate, ita ut solutio acetatis plumbici ne tantulum quidem hydrogenio trajecto turbaretur, ex pondere residui metallici collegimus, pondus metalli, quod totum continuerat sulphuretum, fuisse æquale = 0,235 gr. Globulo diffracto, metallum ipsum, cuius maxima pars sublimata erat, ex omnibus criteriis purum esse *Stibium*, novimus. Solutioni, ex qua dejectum erat sulphuretum stibii, ammoniaco caustico ad saturationem addito, nullum exstitit præcipitatum.

F. Examen substantiæ rubro-fuscæ in superiori parte globi sublimatae (C) jam instituti, eandem per se jam deliquescentem aqua cum acido hydrochlorico commixta abluimus, &

D

quo nobis persuaderemus nullam omnino chloreti plumbi portionem e fixo residuo (Cfr. C) cum illa solutione esse subreptam, guttas nonnullas acidi sulphurici addidimus, quæ tamen solutionem nullo modo turbaverunt. Solutionem deinde ammoniaco caustico saturationem excedente commicimus; præcipitatum inde ortum lavatum, siccatum & ignitum, colore rubro-fusco gaudebat, & 0,03 gr. adæquabat. Aqua regis tractatis hisce 0,03 gr., indissolubilis restabat pulvis flavus, qui pondere æqualis erat 0,005 gr. Solutio ammoniaco neutralis redditæ & iterum guttas nonnullis acidi hydrochlorii acida facta, missum fecit pulverem, qui rite separatus & ignitus 0,015 gr. efficiebat. Color ejus erat luteo-albidus; cum borate natrico & phosphate ammoniaco-natrico, præeunte effervescentia, vitrum dedit quod calidum primum erat aureo-flavum, postea viridescenti-flavum, & refrigeratum coloris expers. Per se in carbone duas areolas, exteriorem albidam & interiorem flavescentem, dedit. De cetero, ob parvam hujus substantiæ copiam, naturam ejus neutiquam pro certo statuere audemus. Idem iudicium valet de 0,005 gr. quæ ad tubum ferruminatorii eadem cum salibus nominatis exhibuit phænomena. E solutione post separationem præcipitati illius 0,015 gr. residua vi succinatis ammoniaci accepimus oxidum ferricum 0,01 gr. æquale, quod 0,007 gr. Ferri metallici respondet.

G. Solutio, ex qua præcipitatum, ferrum continens, vi ammoniaci erat dejectum (F), sul-

phureto hydrogenii tractata pulverem dedit rubrum, quod siccatus æqualem erat 0,018 gr. In tubo vitro vi hydrogenii dedit metallum nigrescenti-cinereum, admodum volatile, quod etiam difficile erat agnitu. Portiunculam quandam certe continere videbatur stibii, sed maxima pars neque fuit stibium neque arsenicum.

H. Massam tandem in fundo globi residuam, quam pro chloreto plumbi habuimus, disquisituri, eidem aquam cum parva acidi hydrochlorici portione commixtam supersudimus, qua tota quanta lente solvebatur. Acido sulphurico deinde addito, & liquido evaporatione inspissato, pulverulentam accepimus massam, quæ aqua superfusa indissolubilem dedit sulphatē plumbicū post ignitionem 0,407 gr. æqualem, & 0,278 gr. *Plumbi* metallici indicantem. Aqua a sulphate separata vi sulphureti hydrogenii præcipitatum dedit nigrescenti-rubrum = 0,01 gr. æquivalens, quod hydrogenii ope in formam metallicam reduximus. Ejusdem indolis esse videbatur metallum hocce ac illud, cuius mentio supra (G) est facta; nullum tamen antimonii vestigium idem continuisse credimus. — Oxida sic quidem in summa 0,020 gr. (F), & sulphureta 0,028 gr. accepimus, quorum naturam accuratius investigare non potuimus; etiam pondus metallorum, quæ continebant tam hæc quam illa, hinc stricte determinari non potuit. Quantitatem tamen eorum minimum habendam esse = 0,35 æqualem (quæ in centumpondio efficit 4,5 partes) ex comparatione compositionis sulphu-

retorum & oxidorum in genere, judicari potest. De cetero patet, adcuratam determinationem quantitatis horum metallorum minoris esse momenti, cum non nisi accidentales partes constituentes haberi possint, minimeque ad constitutionem chemicam pertineant.

Ad finem sic jam perducta analysi sulphureti nostri, in centumpondio sequentes ejusdem partes constituentes invenimus:

Plumbi	37,31.
Stibii	31,54.
Sulphuris	23,76.
Ferri	0,94.
Metallorum (non determinat:) circiter	4,50.
Deficiunt	1,95.
	100,00.

Constitutionem fossilis hujus secundum theoriam electro-chemicam dijudicantes, invenimus, 31,54 partes stibii, quo formetur SbS^3 , require 11,802 partes sulphuris, plumbique 37,31 partes in sulphureto hucusque cognito PbS^2 cum 5,798 partibus sulphuris cōjunctas esse. Si vero 5,798 bis sumimus, habebimus 11,596, quae prope admodum accedunt quantitatib: 11,802; indeque admodum fit verisimile, plumbum in altiori gradu esse cum sulphure conjunctum. Hoc

posito, facile omnino a conclusione derivare possumus formulam $3 \text{ PbS}^4 + 4 \text{ SbS}^3$, ex qua ratione fossilis compositio erit:

Plumbi	40,78,
Stibii	33,87,
Sulphuris . . .	<u>25,35,</u>
	100,00.

vel si 7 partes pro ferro ceterisque metallis accidentalibus subtrahantur, ceterae 93 partes in conclusione computata dabunt:

Plumbum	37,93,
Stibium	31,50,
Sulphur	<u>23,57,</u>
	93,00.
